BIBLIA LATINA, BD. 1
Salzburg (?), 2. Viertel 14. Jh.
Seite 196v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

audivit enim quod ipsum unxissent in
regem pro patre eius quia amicus
fuerat hiram david omni tempore
Misit autem et salomon ad hi
ram dicens tu scis voluntatem da
vid patris mei et quia non potuerit edi
ficare domum nomini dei sui propter bella
imminentia per circuitum donec daret
eos dominus sub vestigio pedum eius
Nunc autem requiem dedit dominus
deus michi per circuitum et non est sathan
neque occursus malus quam ob rem co
gito edificare domum nomini domini dei mei sicut
locutus est dominus deus david patri
meo dicens filius tuus quem dabo pro
te super solium tuum ipse edificabit domum
nomini meo precipe ergo ut precidant
michi cedros de libano et servi mei sint
cum servis tuis. Mercedem autem servo
rum tuorum dabo tibi quamcumque petieris
scis enim quoniam in populo meo non est vir
qui noverit ligna cedere sicut sidonii.
Cum ergo audisset hiram verba salo
monis letatus est valde et ait. benedic
tus dominus hodie qui dedit david
filium sapientissimum super populum hunc
plurimum. Et misit hiram ad salomonem
dicens. Audivi quecumque mandasti michi
ego faciam voluntatem tuam in omnibus
lignis cedrinis et abiegnis servi mei
deponent ea de libano ad mare et ego
componam ea in ratibus in mari usque
ad locum quem significaveris michi et
applicabo ea tibi et tolles ea inde prebe
bis que necessaria michi ut detur cibus
domui mee itaque hiram dabat salomoni
ligna cedrina et ligna abiegna iuxta
omnem voluntatem eius. Salomon autem
dabat hiram xx milia chororum tri
tici in cibum domui eius et viginti
choros purissimi olei. hec tribuebat sa
lomon hiram per singulos annos. Dedit
quoque dominus sapientiam salomoni sicut lo
cutus est ei. Et erat pax inter hiram
et salomonem et percusserunt fedus ambo.
Elegit que rex salomon operarios de omni
israel et erat indictio xxx milia virorum
mittebatque eos in libanum x milia per
menses singulos vicissim ita ut duobus
mensibus essent in domibus suis. Et
adoniram erat super huiuscemodi indictionem
Fuerunt itaque salomoni lxx milia
eorum qui onera portabant et octogin
ta milia latomorum in monte absque
prepositis qui preerant singulis operibus
numero trium milium et trecentorum
precipientium populo et hiis qui faciebant
opus. Precepitque rex ut tollerent lapides
grandes lapides preciosos in fundamen
tum templi et quadrarent eos quos
dolaverunt cementarii salomonis et ce
mentarii hiram. Porro biblii preparave
runt ligna et lapides ad edificandam
domum.

VI

Factum est
autem quadringentesimo et octogesimo
anno egressionis filiorum israel
de terra egypti in anno quarto mense
zio ipse est mensis secundus regni salomonis
super israel edificare cepit domum domino.
Domus autem quam edificavit rex sa
lomon domino habebat lx cubitos in
longitudine et xx cubitos in latitudine
et xxx cubitos in altitudine. Et porticus
erat ante templum xx cubitorum lon
gitudinis iuxta mensuram latitudinis
templi et habebat x cubitos latitudinis
ante faciem templi. Fecitque in templo
fenestras obliquas et edificavit super
parietes templi tabulata per gyrum in
parietibus domus per circuitum templi